B. N. C.
FIRENZE
1111
3

CXI

1111 3

1111
3

xvii
16


DILVVIVM IGNIS

A1

DILVVIVM IGNIS
SIVE
DE S. SPIRITVS
ADVENTV
ORATIO
HABITA
IN SACELLO PONTIFICVM
QVIRINALI
AD SS. D. N.
INNOCENTIVM X.
PONT. OPT. MAX.

A IACOBO PELLIO SEM. ROM. CONVIC.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

ROMAE,

Typis Ignatij de Lazaris. M.DC.LIII.

Superiorum Permiſſu.

3

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI

CAROLO MEDICEO

S.R.E. CARDINALI DECANO.

IACOBVS PELLIVS FLORENTINVS SEM. ROM. CON. F.

IMmenſum ignis eloquẽtiſsimi diluuiũ, à me breui Oratione collectũ, vt in alueũ exuberet capaciorẽ, in quo more ſuo latiùs exũdet, ac ferueat, placuit illud corriuare tuũ E.P. in ſinũ, qui nõ minus Romana purpura flagrat, quàm pio munificẽtiæ fluctu, quàm munifico pietatis incẽdio. Arnum vel exoſa, vel oblita diutius hoc hauſit Florentia, floreſq; ſuos, non aqua ſed igne, virtutũ prouocauit in fructus. Hauriet nũc auidè Roma, quæ glorioſè coronatur & regnat, cũ ſuorũ Principũ geſta, & exempla, ſuæ coronæ cõflat in radios. Perge E.P. Tyberis ad in-

uidiã vrbem hanc igneo tuæ beneficẽ-
tię flumine rigarẽ feliciter,& illuſtrare. Neptuno Inundatori templa quondã Græcia locauit. æterna tibi gloriæ monumenta Roma cõſtituet in corde,dũ tuis tota virtutibus inũdabitur. Excipe interim pleno fulgoribus pectore,quod in te voluo,ignis Diuini diluuium:& ſi ſuper obrutã aquis Turonẽ lucis ignitę globus paruuſq; Κομήτης olim apparuit,tui globos inſignis, vt ſplendidè ardeant, & plaudant,ignis eluuioni præfige. Tibi, & cõmuni patriæ caritate, & priuatis officijs, & multiplici meritorũ titulo mancipatus, nihil habui, quod gratioſius offerrẽ in tributũ,quàm pretioſã ignis diuini tempẽſtatẽ, quam nequis non amare, cum ſit amor, quem ſuper omnia, & per quem omnia regià caritate complecteris.

ORATIO.

PLENA eſt, imò exundat, ſceleris humani menſura B. P. Cruciauimus, & occidimus filium Dei, hoc eſt, omnium metam flagitiorum attigimus: An pœnituit Deum feciſſe hominem, eumque à facie terræ deleturus, Cœli cataractas aperuit? Aperuit ſanè, factus eſt de Cœlo ſonus, qui tempeſtatem inſolito fragore prænunciat: Diluuia, naufragia, exitium vltimum formidamus? Formidamus? Imò irritamus: amoris enim imber erit, non furoris; non mortalibus feret exitium, ſed morti; modulatur tonitru plauſus, non reſono terrore corda perturbat; non hyemem, noctemque parit, ſed diem aperit æternitatis, caritatis accendit æſtatem; homines abſumit, vt renouet; terram obruit, vt extollat in Cœlum: E tuis enim venis, è tuo ſanguine, Chriſte, coaluit imber iſte flammarum, qui dum per vulnerum cuniculos erumperet olim in Caluariam, lapides, & ſepulchra terræmotu diſiecit, remiſitque vita functos ad vitam. Hic dum hodie redit ad nos agmine dulci, cum *Gen. cap. 6. cap. 7.*

ſtre-

Pſalm. 36. ſtrepitu in mundi ſcelera grandinat; eleuatos impios ſicut Libani cedros extirpat; cinefactiſque ſceleribus, & ſceleratis, horum impuro cinere, pudoris ad meſſem, arua fœcundat Eccleſiæ. Sic hominum flagitia efficaci diluuio flammarum vltus eſt Deus, qui ſub aquis ſine pœnitentiæ ſenſu torpuerant: ſic fuſa vbique malæ cupiditatis incendia ſuperfuſo caritatis incendio vicit, merſit, extinxit; & ne cum vitijs deleret *Geneſ. cap. 6.* hominem, quem creauit, quia caro eſt, igne diuino penè vertit in ſpiritum, penè commutauit in Deum. Qua verò in Arca, nouæ virtutum prolis ad ſeminarium, pereunte mundo, ſeruamur? Vbi montes Armeniæ? Arca Crux eſt; mons Armeniæ Vaticanus: hic Regibus, & Regnis Romani Noëmi nobilis familia ſupernatat: hic Tartara terit, terret, & cruciat: hic iactis anchoris, in Fidei petrà dum ſedet immota, velificante aurà Diuini Spiritus, omnia nauigatione Regna perluſtrat: pudet enim otia ſectari, dum igne alluitur, & obruitur, qui, ſi nihil agit, extinguitur; nec agitata ſcopulos formidat, aut voragines, quæ, dum in Orbe toto mouetur, acta incẽdijs & incendiaria, ſemper in Vaticano portum habet, & quietem. O vtinam ſemper ità quieſcat, vt moueatur, ità moueatur, vt quieſcat! Conglobet Aethiopia nubes, non tam vultu, quam animo; vortices Iaponia conſtruat in foſſis; ſalutarem ignis eluuionem cruore ſuffocet; Aſia ventulo deliciarum aliò difflet, atque diuertat; ingurgitet Africa feritate; quia ignis eſt, hoc hauſto, vel facilis, & mollita pietate, amoris aurigante flamma, tolletur in Cœlum, vel grauis & ſaxea, vi furoris rapietur ad Tartara. Nec ſtabit Arca, vel hærebit in ſalebris, ſed curſus aliò deflectet; fluctibus igneis & irrequietis ſequetur impetum Spiritus, impellentis in omnem terram, ſecura ſemper, & pacata, ſi nunquam ab excurſionibus, ab incurſibus, à ſalutaribus armis, ab ipſo mundanæ pacis odio ceſſabit. Hæc nimirum Eccleſiæ pax eſt,

æterno huius pacis odio flagrare, quam inter illata Cœlo arma mundus parit, cuius malacia tempeſtas eſt, cuius vela tumor & faſtus, cuius rudentes vincula peccatorum, cuius Cynoſura caligo, cuius aura turbo, cuius remigium doli, cuius portus ruina, cuius anchora deſperatio. At quæ molliter aqua nauiganti ad præcipitia ſubſternitur? illa ſanè, quam in Eccleſiæ nauiculam mittit ex ore tanquam flumen ad veræ nau- *Apoc. cap 12.*
fragia pacis Draco tartareus; illa, ſub qua gigantes gemunt; in qua in morem ranarum Spiritus immundi *Iob cap. 26.* *Apoc. cap. 16.*
verſantur; illa è qua maledictum, mendacium, furtum, adulterium, & omnia ſcelera inundauerunt; illa, quæ *Oſee cap. 4.*
merum diluit Babyloniæ, poculum propinantis abo- *Apoc. cap. 17.*
minatione plenum & immunditiâ; illa, quæ puteum implet feruentis, & fumantis abyſſi, coronatas locuſtas *Apoc. cap. 9.*
effundentis, ſimiles equis paratis ad prælium, & leonibus irritatis ad morſum; illa, illa inquam, quæ facta eſt in abſynthium, & pleroſque mortalium amarore *Apoc. cap. 8.*
merſit, & morte. Sed benè eſt: victrix aqua non ignem obruit & oppreſſit. Religiosè dirempta ſuperſtitioſa lis eſt Chaldæorum & Aegyptiorum de principatu ignis & aquæ, quos colebant vt Numina, contendentium. Deus ignis, linguis innumeris cauſam ſuam eloquentiſſimè perorauit, & vicit. Fluuius igneus rapiduſque, *Dan. cap. 7.*
qui egreditur ex ore Dei, ſtygiam aquam deleuit, exiccauit, exhauſit, quam Draco tortuoſus venenato profundit è gutture. Nauiget iam, ſereno Cœlo, vacua timore, ſalutis plena mercibus Chriſti Eccleſia, quia iactata velocior, quia prodita ſecurior, quia captiua liberior; Columbæ niualis, hoc eſt pacis diuinæ alis inumbrata, victricis oleæ ramo, veluti remo prouecta fortiter, protecta fœliciter vt coronâ; ferreis ſcorpionibus, haſtis, gladijs, telis, ſecuribus, aculeis, equuleis, reliquàque roſtrata ſupellectili tormentorum; per decrementa gloriæ glorioſior, per ſanguinis effuſi fluenta ſplendidior, alliſa ſcopulis & integra, vorata balenis

& ege-

& egeſta, obruta & ardua, denique barbaricâ vi ſuperata, & laureata, prætorianâ Cæſaris naui nobilior, cuius in puppe nata laurus perpetuæ victoriæ germinauit in ſpem. Hæc Eccleſiæ nauigatio eſt pluuij amoris in diluuio, cuius igni ſeruare fidem Stygis aqua nequit, & neſcit. Adſunt torridum mare ſulcanti non chori Tritonum, aut Nympharum, ſed virtutum, quæ altera manu placidè ad curſum puppim impellunt, altera ſparſas latè flammarum vndas coralijs, eas natiuo colore referentibus, multo ceù flore, conſpergunt: ſcelera, igne perdomita, nauim, marina ceu monſtra, circumeunt, & depluentium linguarum, & defluentium vndarum ad harmoniam querelas fremitu modulantur: non curru fertur cum tridente Neptunus, ſed Religio Crucem attollit, & natat ardentis pelagi moderatrix & Domina: pax, obſtrictis notis & aquilonibus, diſpenſat ventos & regit: fluctus æquat: iridem, quam Noëmi ſuper Arcam olim explicuit, diuinæ Columbæ, mare lucis & ignis excutientis è pennis, eminere iubet è collo; triplicis coloris amabili repercuſsu Romani Pontificis triplex diadema formare; denique triumphalem in arcum prope lilia, ſpei publicæ ſymbola, contorqueri, quæ, ſi Plinio credimus, ſub iride, dum curuatur, ſuauiùs olent, & arduum caput ambitiosè ſuſtollunt. Age amor: an flammeo torpebis in flumine, qui auro obrizo renes accinctus, membris chryſolito fulgurantibus, facie fulgetras imitante, lampades oculis, brachijs, vtero, & pedibus ahæna igne candentia, totus ardebas rapidiſſimo Tigris in fluuio? Age; quid hæres? organa & citharam, quæ ſuper flumina Babylonis ad Crucis arborem in Chriſti morte ſuſpenderas, reſume rurſus, & calidas volita ſuper vndas, qui frigido, & muto ſedebas in litore. Creſcat ignis tuorũ aurâ carminum ventilatus. Factus eſt de Cœlo ſonus. Ad huius harmoniam flecte alas, & cantus. Cane egreſſum de Rhamno ignem, hoc eſt diuinam è noſtris ſceleribus caritatem; Per aquam à Dracone

Dan. cap. 10. & 11.

Iud. 9.

vibra-

vibratam, per ignem aquæ victorem peruium iter ad refrigeria; Cœli pluuijs ardoribus noua Tartaris Tartara fabricata, nouum terris extructum Paradiſum voluptatis, qui fuerat olim igne minaci terris ereptus. Cane apertos martyrum canales, Thermas, & Balnea, quibus abluantur vt victimæ, quibus vt holocauſta crementur, quibus vt Cœli Reges purpuræ colorem, & ardorem inducant. Cane natas ignis in diluuio victoriarum oleas, lilia Virginum dealbata, oblitam fumo ſœculi maieſtatem, Crucis ignominiam illuminatam, rapta huius impetu ab aris idola, ſuperbiam voraginibus hauſtã, abſorpta vorticibus vorticoſa flagitia, montes igneos in Fidei arces erectos, Philiſtęorũ agros, hæreticorum arua, infelici ſata lolio, combuſta, Eccleſiæ noualia fœcundata: nequit enim ignis ille ſterileſcere, qui, dum Diuinitatis altiſſimo ſtagnat in ſinu, vnius ſolitudinem Dei tres fœcundat in Perſonas. Cane faciendum grandium animarum in piſcosà eluuione piſcatum, dignitatum iactum & diuitiarum, humani faſtus & gloriæ naufragium, vt pro cunctis ſola mercibus Chriſti nuditas, vnio caritatis, & gemma non Polycratis, ſed fœlicitatis æternæ referatur. At tù, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus eſt fluuius, dum celeuma canit amor, dum Arca eius ad auram pelago fertur ardenti, audi flammeis linguis loquentem Deum, & viſcera igneis cuniculis lacerantem. Fluuius, ait, meus eſt, & ego feci eum; id circo ego ad te, & ad flumina tua. Extraham te de medio fluminum tuorum, & proijciam te. Hæc Dei vox eſt in tua flumina ſui fluminis eluuione belligerantis. Freme, frende, ſpuma, ringere, ferox, & morere. Dixi.

Pſalm. 65.

Iud. 15.

Ezech. 29.

F I N I S.

2

1111. 3

99 960516

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 8274800